

Cap. XXXI. Atqui necesse est, quum sint dii, si modo sunt, ut profecto sunt, animantes esse, nec solum animantes, sed etiam rationis compotes, inter seque quasi civili conciliatione et societate conjunctos, unum mundum, ut communem rem publicam atque urbem aliquam, regentes. Sequitur, ut eadem sit in his, quae humano in genere, ratio, eadem veritas utrobique sit, eademque sit lex: quae est recti praeceptio pravique depulsio. Ex quo intelligitur, prudentiam quoque, et mentem a diis ad homines pervenisse: ob eamque causam majorum institutis mens, fides, virtus, concordia, consecratae et publicè dedicatae sunt. Quae quum convenit penes deos esse negare, quum eorum augusta et sancta simulacra veneremur? Quod si inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia: unde haec in terras, nisi a superis, defluere potuerunt? Quumque sint in nobis consilium, ratio, prudentia; necesse est, deos haec ipsa habere majora, nec habere solum, sed etiam his uti in maximis et optimis rebus. Nihil est autem nec majus, nec melius mundo. Necesse est ergo, deorum consilio et providentia eum administrari. Postremo quum satis docuerimus, hos esse deos, quorum insignem vim et illustrem faciem videremus, solem dico et lunam, et vagas stellas et inerrantes, et coelum et mundum ipsum, et earum rerum vim, quae inessent in omni mundo, cum magno usu et commoditate generis humani: efficitur, omnia regi divina mente atque prudentia. Ac de prima quidem parte satis dictum est.

Cap. XXXII. Sequitur, ut doceam, omnia subjecta esse naturae, eaque ab ea pulcherrime geri. Sed quid sit ipsa natura, explicandum est ante breviter, quo facilius id, quod docere volumus, intelligi possit. Namque alii *naturam* esse censent vim quandam sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios; alii autem, vim participem rationis atque ordinis, tamquam via progredientem declarantemque, quid cujusque rei causa efficiat; quid sequatur; cujus